

super sexto articulo si illa que continentur in eo sint vera, dixit quod sic. Interrogatus in causa scientie, dixit quod vidit et audivit quoniam ipsi Episcopi et clerici sui ac eorum procuratores receperunt et recipiunt placeaticum de omnibus que vendunt et emunt in territorio Montis viridis pro parte et nomine Ecclesie supradicte. Interrogatus de loco dixit quod vidit in Civitate et Territorio Montis viridis. Interrogatus de tempore dixit quod recordatur de quinquaginta annis et citra descendendo. § Item Interrogatus super septimo articulo si illa que continentur eo sint vera dixit quod sic. Interrogatus in causa scientie dixit quod vidit et audivit quoniam Episcopi qui fuerunt pro tempore et eorum procuratores receperunt huiusmodi vassallos de novo venientes ad homagium Ecclesie infra octo dies ut in predicto articulo continetur, et quod vidit eos continue vocantes predicto Iure et libertate quo ciens opus fuit et predicti homines veniebant de novo. Interrogatus de loco dixit quod fuit in Civitate et Territorio Montis viridis. Interrogatus de tempore dixit quod vidit a quinquaginta annis et citra descendendo. § Item Interrogatus super octavo articulo si illa *etc.* in causa scientie dixit quod vidit et audivit dictos vassallos de novo receptos uti continue eadem libertate cum antiquis vassallis Ecclesie. Interrogatus de loco et tempore *etc.* § Item Interrogatus super nono articulo *etc.* de causa scientie dixit quod vidit predictos vassallos libere possidere possessiones omnes suas et nunquam videre propter ipsas maneri ab ipsis aliqua questione, nec vidit ipsos servire alicui pro ipsis possessionibus nisi Ecclesie cui reddunt census suos et servient ut vassalli. dixit tamen quod conferunt in serviciis Regiis cum universitate Montis viridis. Interrogatus de loco *etc.* Interrogatus de tempore *etc.* § Item Interrogatus super decimo articulo *etc.* in causa scientie dixit quod vidit et audivit eos semper libere possidentes. et Interfuit quoniam Episcopi qui fuerunt pro tempore et eorum pro-